

6
 blici juris faciendum communicavimus. Incipit:
Quis dabit capiti meo aquas?

6. *Varia orationes capitulares*, è quibus quatuor extant in eodem membranaceo fig. H. 10. egregiæ omninò & notabiles, quæ itidem commissæ sunt benefato Petzio edendæ.

7. *Sermones breves de tempore*, & *alia quædam analecta* diverſi commatis in schedas defultoriè coniecta.

8. *Liber de Rectoribus Christianis & regulis, quibus Respublica est gubernanda ad Hermannum Colon. Archi-Episc.* Extat MS. in *Biblioth. Patrum Societ. JESU Colonia.*

9. *Tractatus varii de modo constituendi, de instituendis visitationibus, de electione Abbatis, item processus pro reformatione Monasterii Lucensis. Dubia quadam de illis, qui cum pacto de solvenda pecunia ingrediuntur Religionem...* *Speculum juvenum, & alia in Cod. fig. E. 1.*

10. Superant itidem Codices non pauci cum in membranæ, cum in charta Adami nutu à Religiosis exarati; sed plerique suppresso authoris nomine aded ut certi nihil possit definiti. *Ex monumentis Abbatie S. Martini.*

11. *Ceremoniale metricum MS. in Bibl. Lacensi hoc exordio: In summis festis ad Missam dicitur una tantum Collecta...* In fine sequentes leguntur versus:

Adam jure minùs doctis versus dedit istos,
 Ut discant, quæ sint fugienda, per hæcve cavenda.
Ex Schedis D. Oliverii Legipont. Benedictini Martiniani.

ADAMUS DE VODROMO Germanus Carmelita Coloniensis, vir doctissimus atque humanissimus non minùs viâ, quam conversatione præclarus. Scripsit *Lecturam sententiarum libris 4. Determinationum Theologicarum librum 1.* Vixit anno redemptionis humanæ 1350. ex *Frisio & Philippo Metia.* Antonius Posselinus & quidam alii eum confundunt cum Arnaldo Bostio; sed contrarium ostendunt Paulus Segerus Carmelita. *Ex Schedis Eximii Brunonis Tevvis Carmel.*

ADELBERTUS ANDERNACENSIS, Abbas Mediolaci ad Saram in Archi-Diœcesi Trevirensi Ordinis S. Benedicti. Scripsit *vitam S. Lulvini Ducis Lotharingia, Archi-Episcopi Trevirensis.* Quo præcisè tempore floruerit, incertum est.

D. Galmet in catalogo Abbatum Mediolacensium præmissio Tomo III. Historiæ Lotharingicæ eum refert ex antiquo Necrologio Abbatie sine anno mortis sepultum in Ecclesia Abbatiali sub Turri. Masenius in Metropoli Ecclesiæ Trevirensis inter Abbates Mediolacenses nullum refert Adelbertum; bene tamen ex Trithemio Adelhelmum seu Adeselmum, quem ad annum 1157. refert, nec non Albertum ad 1242. & hunc posteriorem esse Adelbertum Andernacensem, probabilius est. *Ex Schedis Rmi Nicolai ab Hontheim. Official.*

ADOLPHUS DE ASSINDIA (von Essen) ingressus est Carthuliam Treviri proximam, in eaque Vicarii ac subinde Prioris Magistratum eum laude administravit. Decessit ex hac lachrymarum valle 4ta Junii anno 1439. vir desideriorum, ut Daniel olim, divinis meditandis, scribendis, docendis totus intentus. Scripsit. *Exercitium de triplici meditatione, de commendatione Rosarii, de exercitio remissionis peccatorum. Vitam Mar-*

garita, Ducissa Lotharingia, qua obiit 1339. Preces pro omnibus statibus & orationibus E. clesie, qua opera MS. continentur Tomo uno in folio pulpito OO. codice 122. Bibliotheca Carthusia Colon. ibidem pulpito OOO. codice 111. 8vo extant MS. devota exercitia ejusdem Adolphi.

ADOLPHUS BINGEN in Colonia Agrippinensium natus, renatus fuit fonte sacro Parochiali ad S. Columbæ anno 1650. parentibus Andrea Bingen & Anna Aussem. Humaniores & Philosophicas literas doctus fuit in Gymnaseo Laurentiana: Theologiæ Baccalaureus in patriæ Universitate renunciatus, Sacerdotium nanciscitur in Collegiata Ecclesia Cunibertina Canonicorum anno 1671. 19. Octobris. Fratre Paulo Decanalem ejusdem Ecclesiæ dignitatem abdicante, eandem adeptus est anno 1679, quam egregiè ornavit ardenti zelo pro disciplina clericali tuenda usque ad diem 15. Februarii 1721, quo tactus apoplexiâ ad Superos abiit. Moribus fuit à primordiis ad tumulum integerrimis ac prorsus virgineis, ut ne suspicio quidem labis in eum unquam ceciderit. Fovebat eam virtutem concatenato & ferreo labore in versanda pernoscenda Ecclesiæ suæ, imò universæ Diœceseos historia, quam si quis alius probè callebat. Unde in congressu Prælatorum extemporaneâ & facili eloquentiâ de quovis proposito argumento disceptabat, & rerum gerundarum pro Ecclesiæ Coloniensis juribus propugnandis causas solidas dilucidè proponebat, dignus eo loco Prælati. Reliquit MS. in Bibliotheca Amplissimi & Reverendissimi Nepotis ac Successoris Decani de Birstein (apud quem etiam extat Icon Authoris.)

Chronicon Cunibertinum: sive rerum memorabilium à nato D. Cuniberto ad hæc usque tempora; hoc est ab anno Christi DLXXX. usque ad annum MDCLXXX apud ejusdem Ecclesiam Colonia gestarum ex variis arch:vis, manuscriptis, monumentis, necrologiis, probatisque authoribus eruta series ab Adolpho Bingen, Canonico ibidem.

Descriptum est hoc Chronicon mundo & nitido caractere ab initio ad 1199. inclusivè, in foliis nondum compactis anno 1739. cum Reverendissimus Dominus Decanus à Birstein illud mihi inspiciendum pro sua singulari humanitate offerret. *Ex Rmi Birsteinii documentis.*

ADOLPHUS BRACHELL, natus Coloniensis, Gymnastii Tricoronati Alumnus, Sacerdos Vicarius fuit Ecclesiæ Collegiatae S. Cuniberti. Obiit mense Septembri 1652. in alio libro lego 1653. obiisse. Scripsit.

*Historiam aut verius succinctam Epitomen historiæ annorum 34. nempe ab anno 1618. usque ad annum 1649. primo typo; quo divendito, addito quadriennio vulgavit, secundo typo ab 1618. ad 1652. (inter bella cruenta transacta synopsis stylo eleganti ac dilucido. Tertio, post typis impressam, eamque historiam dein Christianus Adolphus Tuldenus septem annis (D. Moreri octo ponit) adauxit ab 1652. ad 1659. & Henricus Brewerius Juliensis ab anno 1661. ad 1673. impari passu, & aliquantò duriore stylo profecutus est. Typographus Kinckius Tursellini epitomen recusurus rogavit Brachelium, ut & suæ historiæ epitomen adjiceret Tursellinianæ; quod ægrè primùm, tamen subinde victus prece Typographi fecit. *Ex editis libris & Thuldem professione.**